



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. De celebratione Missæ, & administratione SS. Eucharistiæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. III.

De Abbatissarum seu Præpositarum
regularium officio, & potestate.

Quamvis mulieres sint incapaces jurisdictionis Ecclesiasticæ & Spiritualis, propriè loquendo, ita ut quæ spectant ad claves Ecclesiæ sive ligandi per censuras v. g. & solvendi potestatem &c. illis non convenient, prout communissima sententia docet cum gloss. in *c. dilecta* 12. *V. jurisdictionis de majoris. & obed.* quod tamen usus aliquis seu exercitium spiritualis jurisdictionis non tantùm in moniales suas, sed in Clericos etiam beneficiatos talis monasterii committi possit, ex relata glossa habetur ita ut non tantùm beneficia talibus Clericis conferre possint, sed eos etiam in possessionem inducere (quæ tamen in re subordinata illa tota potestas est alicui Præfato ejusdem Ordinis, & ab eo multum dependet, dominativa tamen seu gubernativa potestas tam temporalis, quàm spiritualis in suas moniales vi obedientiæ illi obstrictas, negari non potest, ita ut non tantùm spiritualia præcepta illis imponere possit, atque obligentur, sed etiam in virtute obedientiæ præcipere ea, quæ sunt ad animæ salutem spectantia, & regulæ conformia, cum vi suæ professionis ad hæc obligentur.

SECTIO V.

De officio & potestate Parochi.

§. I.

De Parochis, seu Rectoribus Ecclesiarum Parochialium, earumque officio, & potestate in comuni.

Parochi dicuntur illi Sacerdotes aut Clerici, qui auctoritate Episcoporum Ecclesiis sunt præfati, ut certo populo, qui Parochiani dicuntur, divini verbi & Sacramentorum pabulum ad animarum bonum subministrant: nuncupantur hi Parochi etiam nonnunquam Rectores Ecclesiarum, à regenda Ecclesia, & populo illis commisso: curiones sive curati à cura animarum illis commendata; Plebani à plebe vel populo, cujus curam habent, & in *c. omnis* 12. *de penit. & remis.* vocatur Parochus etiam proprius Sacerdos, illius scilicet, cujus tanquam Parochiani proprii curam agere debet, jurisdictionem his competere ordinariam in foro interno ad ligandum & solvendum, officii ratio exigit, nulla tamen illis competit in foro externo, & hinc de jure comuni ordinario, secluso speciali privilegio aut consuetudine legitime introducta, non possunt Parochi suas Parochianos excommunicare, nec alias in illos censuras ferre, nec dispensare cum illis in legibus, votis aut juramentis, quamvis possit eum, cujus delictum publicum & notorium est & excommunicatio latæ sententiæ à jure statuta est, ab Ecclesiæ ingressu arcere.

§. II.

De celebratione Missæ, & administratione SS. Eucharistiæ.

Tenentur Parochi per se, vel per alium, saltem omnibus diebus festis, quibus popu-

Populus illis commissus Divinis interesse debet, Missam celebrare in propria Ecclesia, cui si Parochiani, non adfint ex contemptu proprii Parochi, male agunt officio Parochi & Parochiani mutuam obligationem inducente, nisi specialia privilegia majorem Parochianis faciant licentiam sine proprii Parochi contemptu, & quamvis cuius Sacerdoti vi ordinationis suae competat potestas SS. Eucharistiam ministrandi populo Christiano *Caus. pervenit 39. de Consec. dist. 2.* licite tamen eam exerceat, nisi vel ordinariam vel delegatam ad hoc Sacramentum administrandum jurisdictionem habeat, cum munus hoc pascendi SS. Eucharistia subditos maxime proprium sit Pastoribus, ita ut Eucharistia ad modum viatici aut Paschali tempore summenda necessario proprio à proprio Parocho summenda sit (nisi casus necessitatis aliud jubeat) & regulares, qui non sunt privilegiati ipso facto excommunicationem incurrant, si sine Parochorum speciali aut generali licentia subditis eorum. SS. Eucharistia tribuant, juxta *Clement. 1. de Privileg.*

§. III.

De Administratione Sacramenti Pœnitentiae, & aliorum Sacramentorum.

Quod suorum Parochianorum confessiones ubique locorum audire possit Parochus etiam extra propriam Parochiam, certum est, cum absolutio illa sit actus voluntariae jurisdictionis, quam Ordinarius ubique locorum exercere potest. Non potest tamen alienorum Parochianorum confessiones audire, etiam intra propriam Parochiam, sine consensu expresso vel tacito proprii eorum Parochi

(cum absolvi non possit ab eo ille, in quem nullam, nec ordinariam, nec delegatam jurisdictionem habet) qui consensus in multis casibus praesertim inter vicinos Parochos rectissime praesumitur. Peregrini tamen vagi, & iter facientes confiteri possunt Parocho loci, in quo pro tempore versantur. Vagi verò, qui nulli domicilium habent, confiteri possunt vel loci Parocho, ubi versantur pro eo tempore, vel cuius alii Sacerdoti pro confessionibus approbato, cum non sit major ratio pro illo, quam pro quovis alio. Neque possunt Parochi absolvere à peccatis aut censuris Summo Pontifici, aut Episcopo de jure reservatis (excepto articulo mortis, in quo cessat omnis reservatio) possunt tamen absolvere in foro poenitentiae ab ea excommunicatione & juris censuris, quae nec in jure, nec specialiter reservatae sunt, (quod enim Auctor canonis non reservavit, hoc concessisse videtur, *Nuper. 29. §. in 2. de sent. excom.*) & exproabili sententia ab illa etiam casibus Papae reservatis absolvere possunt in foro conscientiae, qui per accedens Episcopales fiunt (ob difficilem v. g. ad Pontificem accessum, &c.) si nec ipse Episcopus aut illius Vicarius facile accedi possit, ut ne scilicet reservatio quae pro bono communi introducta est, contra bonum commune in periculum cedat animarum.

Speciat etiam ad officium Parochi suis parochianis administrare Sacramentum Baptismi (ita tamen ut cum illius licentia expressa, aut prudenter praesumpta etiam alienus Sacerdos, sive secularis ille sit, sive regularis, solemniter baptizare possit) & in gravi infirmitate con-